



Mminet illa lux in crastinum diem,
quæ ut cunctis regionibus Brandenburgicæ ditionis fausta & exo-
ptata, ita præ ceteris Academiæ no-
stræ auspiciatissima, & maxime læ-
tabilis, & sacra semper ac augusta
debet esse. Iuliæ hæ Calendæ sunt,
quibus ante hos XXXVIII annos, qui lux Branden-
burgicarum gentium, decus ac deliciæ nostrorum tem-
porum, fulcrum & præsidium Romani Imperii, & A-
cademiæ nostræ felix auspicium atque firmissimum tu-
tamentum est, FRIDERICVS III, Marchio &
Elector Brandenburgicus, Dominus noster clemen-
tissimus, Princeps Pius, Felix, Augustus, hanc cæli
lucem adspexit, & tanquam cælestè munus, vti omni-
no est, diuina benignitate terris datus atque conces-
sus fuit. Neminem ergo ita sensus expertem ac pu-
blicæ rei incuriosum putamus, quin eius diei solenni-
tate adficiatur, qui tam caro Capiti & tot bonorum
auctori & conseruatori principium vitæ, totque gen-
tibus felicitatis præsentis augurium fausto omne nec
incerta significatione dedit. Quæ vero omnibus com-
munes rationes sunt, vt diem hunc tanquam festum
ac so-